346.6
43

OFFICIVM
Natalis, & Translationis

S. CRESCENTINI
aliàs

CRESCENTIANI, MARTYRIS,
Vrbini Protectoris.

Sub duplici Officio celebrandum die prima Iunij, & xviij. Decembris.

A Sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum, ad ſupplicationem Archiepiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ eiuſdem Ciuitatis, die x. Martij M. DC. LVII.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1879 FIRENZE

ROMÆ Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſt.
M. DC. LVII.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. ASCANIO MAFFEIO ARCHIEPISCOPO VRBINATI.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domine.

MEditabar iam pridem, pij Populi Vrbinatis tuæ paſtorali curæ commiſsi, ingentem erga veteres, nouaſque Proles Franciſcanas propenſionem, productis, quæ apud vos cernuntur documentis, palam typis explicare. Cum id mihi peropportunè accidit, vt Tibi etiam peculiare præ-

ſtandi obſequium, gratiſsima ſe obtu-
lerit occaſio. Curaturus, vt digno
apud vos celebraretur cultu Illuſtris
Chriſti Martyr Creſcentinus, cuius
ſacras poſsidetis exuuias, miſiſti Ec-
cleſiæ tuæ vetuſta monumenta ad
Sacram Rituum Eccleſiaſticorum
Congregationem, vt in digniorem
formam redacta, grauiora prodirent,
& nobiliori ritu dies feſtiui Natalis,
& Trāslationis eiuſdem Inuicti Mar
tyris apud vos colerentur. Id mihi
(quippe ſacri illius Cœtus Cōſultori)
munus iniunctum, acta Martyris exa-
minandi, & ſermonem eccleſiaſtico
candori reſtituendi, quod dum alias
præſtiteram, votis interpellatus Ti-
fernatum, apud quos glorioſum per-
tulit Martyrium; id mihi ſupererat
laboris, illa quæ ad Translationem à

Tifer-

Tiſernatibus ad vos factam adiungere. Ea hic habes à Purpuratis Patribus, Summoque ſacrorum Antiſtite approbata, ita vt omnia ad religioſa tua vota proſperè ſucceſsiſse glorieris. Licet itaque feſtiuis celebrare laudibus ſacratiſsimum veſtrũ Aduenam, Romanum Ciuem, Tiſernatum Magiſtrum, Athletam fidei, Chriſti coheredem, de cuius opimis meritis, vt quidpiam veſtris ſuffragijs noſtræ indigentiæ impertire velitis, humiliter deprecamur. Neque enim iſtius veſtræ Vrbis charitas proflua, & fides auara tantum huic Martyri derogauerit, dum ſibi arrogat, vt ſolum erga mœnia ſua patrocinij illius beneficia adſutura eſse crediderit; non clauditur locis, quod diffunditur meritis, vt egregiè de

Sanćto Nazario apud Mediolanenſes ſepulto, dixit Ambroſius, licet enim hic Vrbinatum peculiaris putetur priuilegio ſepulchri, omnium tamen eſt communione ſuffragij. Vale.

Illuſtriſſimæ, & Reuerendiſſimæ Tuæ Dominationis,

Humilis, & addictiſſimus Seruus

Fr. Lucas Vuaddingus.

In Feſto S. CRESCENTINI, alias CRESCENTIANI Martyris, Vrbini Protectoris.

Die prima Iunij.

Omnia de Communi vnius Mart. tempore Paſchali, vel extra, ſi occurrat, præter propria, quæ ſequuntur.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Beatum Creſcentinum Martyrem tuum virtute conſtantiæ in confeſſione fidei roboraſti: concede nobis famulis tuis, eiuſdem fidei, & charitatis augmentum, vt cuius gaudemus triunpho, proficiamus exemplo. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno leguntur lectiones de Actibus Apoſtolorum. A mileto Paulus &c. vt in Commun. vnius Mart.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

CReſcentinus, qui & Creſcentianus, miles Romanus, nobilibus & Chriſtianis parentibus ortus, ab ineunte ætate pijs operi-

bus

bus intentus, cum vtroque orbaretur parente, facultates ferè omnes in pauperes erogauit. Hinc ſub Diocletiano Imperatore, exilium ab Vrbe paſſus, abijt in Hetruriã, vbi ad Tyberim conſtitit in agro Tifernate. Illic immanis draco Vrbem frequenter circumiens, terrorem Ciuibus, & agris vaſtitatem inferebat, homines & pecudes deuorans, & halitu procul inficiens. Tantæ cladis miſertus Creſcentinus, Deum orauit vt mederetur; ſed diuinitus admonitus, ſuppliciũ hoc eſſe gentis idololatræ, prædicare cæpit, ſi ab illa fera bellua liberari vellent, oportere ne amplius inanibus dijs immolarent, quibus auditis, dum illi relictis erroribus, fidem amplectantur chriſtianam, Dei miles intrepidè draconem aggreſſus, protinus occidit. Tu autem Domine miſerere nobis.

Lectio v.

ITa creſcente credentium numero, Creſcentinus diſtributis in egenos pauculis rebus, quæ ſibi ſupererant, in cellula ſuis manibus extra Vrbem conſtructa, vitam duxit ſanctiſſimam. Igitur longè, lateque eius fama difuſa, confluebat vndique populorum multitudo, quos vir ſanctus partim ſalutaribus monitis, partim malorum & morborum multiplici remedio mirabiliter confortabat. Re ad Imperatorem dela-

delata, Flacco Hetruriæ Præfecto ſtatim indixit, ne alium præter deorum ſuorum cultũ in Prouincia ſibi commiſſa permitteret, & ſeuerè in Creſcentinũ gentis ſubuerſorem, eiuſque ſectatores animaduerteret. Flaccus ad ſe vocato, & acriter reprehenſo, ſub grauiſſimis pœnis, Chriſtianæ fidei doctrinam interdixit. At ille diuino quo ardebat igne magis accenſus, maiori conatu, ſine intermiſſione prædicabat.

Tu autem Dñe &c.

Lectio vj.

Ira proinde percitus Tyrannus Creſcentino in foro, præcepit, vt publicè coram omnibus Deos adoraret, quod vbi indignabundè. & conſtanter recuſaret, iuſſit vinctum in rogum conijci ardentem, ſed in medio flãmarum tanquam in amæno loco abſque vlla læſione lætantem conſpicatus, furens & amens, dirè torqueri, capite plecti, & inhumatum iuſſit dimitti. Impij protinus ſatellites veſtibus exutum, & pedibus vinctum, funem ad collum ligato, per terram inhumanè trahẽtes, lacerato corpore, ſemitas inuicti martyris ſanguine cruentarunt. Demum in confeſſione veræ fidei conſtantiſſimum, pluribus affectum cruciatibus, ad locum Saddi extra Vrbem Kalendis Iunij ſecuri percuſſerunt. Chriſtiani clam truncatum corpus, & caput decenti loco ibidem

dem ſepelierunt, ædificato poſtea ſub eius inuocatione Templo magnifico. Tu autem &c.

In tertio Nocturno ſi venerit tempore Paſchali Homilia in Euãgelium. Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt &c. vt in eodem Comm.

Si extra. Si quis vult poſt me venire. Homil. S. Gregorij Papæ. Quia Dominus.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Beatum Creſcentinum Martyrem tuum virtute conſtantiæ in confeſſione fidei roboraſti: concede nobis famulis tuis eiuſdem fidei, & charitatis augmentum, vt cuius gaudemus triumpho, proficiamus exemplo. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

OFFICIVM

Tranſlationis S. CRESCENTINI, alias CRESCENTIANI Martyris.

Vrbini Protectoris. Duplex.

Die xviij. Decembris.

Omnia de Commun. Mart. præter propria, quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui nos hodierna die Corporis Beati Creſcentini Martyris feſtiua tranſlatione lætificas: concede propitius, vt interceſſionis eius auxilio, in hoc ſeculo terrenis affectibus expiati, ad cæleſtia gaudia transferri mereamur. Per Dominum &c.

In primo Nocturno Lect. de Scriptura.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

CVm Maynardus Epiſcopus pietate inſignis, magno animarum fructu, & diuini cultus incremento Vrbini Eccleſiam gubernaſſet, ſed deſtitutam vidiſſet reliquijs Sanctorum, quorum meritis, & protectioni Eccleſiam, Populumque commendare potuiſſet, contulit ſe ad

Ful-

Fulconem Tifernatem Antiſtitem, à quo inſtanter petijt, vt participem faceret ſacri Theſauri, quo abundè gaudebat, Corporum Sanctorum. Ille Maynardi, vtpotè viri ſanctiſſimi precibus; & fama permotus, Corpus Sãcti Creſcentini Martyris in Eccleſia Saddiana per aliquot annorũ centurias ſepultum, ſecretò tradidit, Capite Tifernati Eccleſiæ reſeruato. ℟ Tu autem Domine &c.

Lectio vi.

SAcris lætabundus exuuijs, dum Maynardus cum ſacrorum hominũ comitatu Vrbinum, regreditur Tifernates, quod occultè actum fuerat, percipiẽtes, & ægrè ferentes ſe tanto priuari Theſauro, magna armatorum manu inſequuntur, ſuũ illud precioſum pignus repetituri: At dum propè accedunt, Vrbinates diuina virtute mirabiliter protecti, incolumes Domum peruenerunt, ſanctumque Corpus magna veneratione anno milleſimo ſexageſimo octauo in Cathedrali Eccleſia condiderunt, modico errore Creſcentinum appellantes. Statim illic multis cæpit corruſcare miraculis, vnde Ciues crebris deuincti beneficijs, Templum magnificentius inſtaurarunt, Sanctumque Martyrem præcipuum ſibi delegerunt Patronum, magna quot annis diem hunc Tranſlationis feſtiuitate celebrantes. ℟ Tu autẽ &c.

Le-

Lectio vj.

Sermo S. Ambroſij Epiſcopi.

In feſto SS. Octauij, Aduentij, &c.

CVnctorum Martyrum, Fratres chariſſimi, deuotiſſimè Natalem celebrare debemus: exemplo enim eorum didicimus Chriſto credere, didicimus contumelijs vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Nam ideo Dominus per totum mundum diuerſis in locis pati Martyres voluit, vt tanquam idonei teſtes, nos præſenti quodam fidei exemplo ſuæ confeſſionis vrgerent, vt humana fragilitas, quæ prædicationi dominicæ aditu longiori vix credit, præſenti oculorum martyrio crederet beatorum. Cuncti igitur Martyres deuotiſſimè percolendi ſunt, ſed ſpecialiter ij veneran di ſunt à nobis, quorum reliquias poſſidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant, iſti etiam adiuuant paſſione. Cum his autem nobis familiaritas eſt, ſemper enim nobiſcũ ſunt, nobiſcum morantur: hoc eſt, & in corpore nos viuentes cuſtodiant, & de corpore recedentes, excipiant. Hic ne peccatorum labes nos abſumat, ibi ne inferni horror inuadat. Tu autem Domine &c.

In tertio Nocturno Homilia de Communi vnius Martyris.

Si quis vult poſt me venire &c. S. Gregorij Papæ. Quia Dñs.

Ora-

Oratio.

DEus, qui nos hodierna die Corporis Beati Creſcentini Martyris feſtiua translatione lætificas: concede propitius, vt interceſſionis eius auxilio, in hoc ſeculo terrenis affectibus expiati, ad cæleſtia gaudia transferri mereamur. Per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

DE